



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Laus continua quam facit anima, ex contemplatione supernæ divinitatis,
27

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Fœlix cali quæ præsentem Regem cernit
anima,

Et sub sede spectat alta orbis volvi machi-
nam:

Solem, Lunam, & globosa cum planetis
sydera.

Christe, palma bellatorum, hoc in muni-
cipium

Introduc me post solutum militare cingu-
lum;

Fac consortem donativi beatorum civium.

Proba vires inexhausto laboranti prælio:

Vt quietem post præcinctum debeas eme-
rito,

Teque merear potiri sine fine præmio,
Amen.

CAPVT XXVII.

*Laus continua, quam facit anima, ex contem-
platione superna divinitatis.*

I. **B**enedic anima mea Domino, & omnia
quæ intra me sunt, nomini sancto
ejus. Benedic anima mea Domino, & noli
oblivisci omnes retributiones ejus. Benedi-
cite Domino omnia opera ejus, in omni
loco dominationis ejus: benedic anima mea
Domino. Laudemus Deum, quem laudant
Angeli, adorant Dominationes, tremunt
Potestates: cui Cherubim & Seraphim in-
cessabili voce proclamant: Sanctus, San-
ctus, Sanctus. Iungamus voces nostras
vocibus Angelorum sanctorum, & com-
munem Dominum laudemus pro modulo
nostro.

2. Illi

2. Illi enim laudant Dominum purissime & incessanter: qui semper inhærent contemplationi divinæ, non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem. Sed quis dicere vel cogitare sufficiat, qualis sit in conspectu Domini Dei omnipotentis illa beatorum spirituum cælestiumque virtutum innumeralis multitudo? Quæ sit in eis sine fine festivitas visionis Dei? Quæ lætitia sine defectu? Quis amoris ardor non crucians, sed delectans? Quod sit in eis desiderium visionis Dei cum satietate, & satietas cum desiderio: in quibus nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parit? Quomodo inhærendo summæ beatitudini sint beati? Quomodo conjuncti vero lumini, facti lux sunt? Quomodo semper aspicientes incommutabilem Trinitatem, mutati sunt in incommutabilitatem?

3. Sed quando illam Angelicæ dignitatis celsitudinem comprehendere poterimus, quando nec ipsius animæ nostræ naturam investigare valemus? Qualis est ista, quæ carnem vivificare potest, se autem in sanctis cogitationibus, ut volet, constringere non potest? Qualis est ista, tam fortis, tam infirma, tam parva, tam magna, quæ rimatur secreta Dei, & cœlestia contemplatur: atque humanis commodis multarum artium peritiam perspicaci ingenio adinvenisse probatur? qualis ergo est ista, quæ tam multa de cæteris novit, & se, qualiter facta sit, prorsus ignorat? Licet enim nonnulla ambigua, à quibusdam super ejus origine proferantur,

ferantur,

ferantur, invenimus tamen eam esse quendam intellectualem spiritum, per creatoris potentiam factum, immortaliter juxta modum suum viventem; mortale corpus, quod sustinet, vivificantem, mutabilitati subiectum, oblivioni deditum: quem timor saepe afficit, latitia extollit. O res mira, omnique stupore dignissima! De Deo quidem creatore omnium, qui est incomprehensibilis & ineffabilis, excelsa & mirabilis nimis, omniremotam ambiguitate legimus, loquimur, & scribimus. De Angelis autem & animalibus quidquid dicimus, non tam evidenter approbare possumus. Sed transeat ab his animus, & transcendat omne quod creatum est; currat, & ascendat, & volitet, & pertranseat; & in eum, qui creavit omnia, quantum potest oculos fidei dirigat. Faciam ergo gradus ascensionis in corde meo, & per ipsos ascendam ad animam meam, & per ipsam & mentem meam ascendam ad Dominum meum, qui capiti meo desuper manet.

5. Quidquid visibiliter cernitur, quidquid spiritualiter imaginatur forti manu, ab intuitu cordis & mentis procul removeatur. Solus intellectus purus & simplex incedens, rapido volatu ad ipsum perveniat conditorem Angelorum, & animarum, & omnium rerum. Mens illa beata, quæ ima deserit, summa petit: quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur Solem justitiæ, Aquilinis obtutibus. Nihil enim tam pulchrum atque
jucun-

iacundum, quam Iesum solum mentis intuitu, & cordis aviditate, contemplari Deum, & miro modo invisibiliter cernere invisibilem; sicque aliam, non istam gustare dulcedinem; & inspicere aliam, non istam lucem. Lux enim ista, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur: & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus, in comparatione illius summæ lucis non est lux dicenda, sed nox.

C A P V T XXVIII.

Quid sit quodammodo Deum cernere & tenere, & qualiter sit de Deo sentiendum.

1. **Q** Vanquam autem illa summa & incommutabilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux angelorum, à nemine conspici valeat in hac vita, quod solum præmium Sanctis reservatur in cœlesti gloria: illud tamen credere, & intelligere, & sentire, & ardentè inhiare, quodammodo illum cernere est atque tenere. Sonet itaque vox super Angelos, & homo intenta mente contempletur Deum, verbis, quibus potest, suas illi dicat laudes. Iustum namque est, ut creatura suum laudet creatorem. Ipse enim ad laudandum se nos creavit, qui nostris non indiget laudibus.

2. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipse sibi sufficiens: Magnus Dominus Deus noster & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Magnus Dominus Deus noster, & laudabilis